

re fecerunt, confluxeruntque ad eam deinde festivitatem longinqui etiam populi. Duravit ea flamme descensio quotannis in hac nocte usque ad tempora Pauli III. Pp. adeo conspicue, ut Recinetenses e mœnibus et tectis nocte illa vigilantes, ignem expectare et conspicere solerent. Habeimus hinc, auditores, placere Dei Matri, ut dies ejus natalis solemniter celebretur: sed nondum intelligimus quamobrem tam copiosum ignem demittere super ædem suam voluerit, quidque hoc igne nuntiarit. Hoc ergo nunc investigemus.

I. Significabat absque dubio publicum Ecclesiæ gaudium, ipsi hodierna die allatum per nativitatem Virginis. Solent enim in nativitate regia prolixus excitari passim ignes festivi in regis ditioni subjectis civitatibus. Canit vero de B. Virginie Ecclesia: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo, etc.* et B. Petrus Damiani card. serm. II. in nativit. B. V. « Exultemus, inquit, in hac die præcipua, et totis visceribus in Domino delectemur: in qua dum Redemptoris nostri recolimus Matrem, reliquarum festivitatum celebramus originem. Quæ enim cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquam esse debet inferior dignitate. Nam si Salomon cum Israelitico populo in dedicatione templi ex lapidibus facti, tam copiosum et magnificum sacrificium solemniter celebravit; quale quantumque gaudium B. V. nativitas populo christiano debet afferre, in cuius uterum, velut revera sanctissimum templum, Deus ipse descendens, et humanam naturam ex ea suscipere, et cum hominibus dignatus est visibiliter habitate, etc? » In illud descendit nebula, ita ut non possent sacerdotes stare et ministrare: at in ædem Deiparae descendit ignis; quia illi in caligine erant, nos in luce sumus. Gaudium vere hæc nativitas attulit Deo, angelis, patribus, mundo universo, ut alibi diximus.

II. Protectionem singularem B. Virginis erga domum suam et domesticos, scilicet cultores suos. In v. t. Deus duxit et protexit Hebraeos in deserto per igneum columnam: in novo S. Ambrosium igne circumdedicit contra dæmones, quos magnus Innocentius ad eum interneccandum immisericorditer; qui et propter ignem illum ne prope quidem accedere ad eum potuerunt, Paul. in vita S. Ambrosii. Ignis fovet et urit; fovet amicos ac protegit, urit vero hostes. Foget ergo Deipara suos et filii cultores; hos enim ei Christus in Joanne, qui solus Matrem ad crucem Filii, tamquam ejus sodalis, comitatus fuerat, e cruce commendavit, ut S. Antoninus docet, IV. p. reliquias S. Cæciliae defendit contra Longobardos, ut eas invenire et absportare non possent (uti revelatum Paschali

Pp. apud Baron. anno 821.) quanto magis deferit cultores suos viventes? Si defendit emortui corporis reliquias, quanto magis tuebitur cultui suo addictorum animas? Verum quemadmodum B. Virgo cultores suos foget ac tuetur, ita quandoque hostes suos punit et castigat. Qua de causa Cant. VI. progrederi: *Velut aurora, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies* dicitur. Luna, aurora et sol suavis est hominibus, ut et animantibus lucis amantibus ac mansuetis: terribilis prædonibus et furibus, effteris et prædaciibus bestiis, lucem fugientibus noctuque rapientibus, veluti lupis, leonibus, noctuis, vespertilioibus. Ita B. Virgo terribilis est dæmonibus, prædatoribus animalium ut ait loco citato Damianus, necon eorum asseclis, hæreticis et blasphemis. Exempla duo refert post Lipsium, de Virg. Hallensi et Sichenensi, P. Cornelius a Lap. in Levit. c. XXIV. § XIV. tamquam recentia et bene sibi perspecta, de Hollandis duobus militibus, quorum unus ad urbem Hallas statuam miraculosæ Deiparae celebrem blasphemans: *Ego, ait, meis manibus mulierculæ Hallensi nasum absindam.* Audit Virgo, et procurat ut ei plumbea glande ex urbe emissâ nasus auferretur. Nomen illi Johannes Zwikius, qui ob id suis etiam commilitonibus ludibrium fuit, dicentibus, ut eat Hallas et nasum suum requirat. Alter Sichenensem Virginem itidem deridens: *Si Maria, inquit, hic miracula facit, illuminet meum equum.* Moxque equus illuminatus, ipse vero excæcatus est.

Quomodo punitus sit Nestorius et Constantius Copronymus diximus alibi. Et notandum quod videtur Christus Dominus celerius et acrius punire injurias Matris suæ, quam proprias. Quemadmodum enim Assuerus tum demum vehementissime exacerbatus fuit in Amanem, ac sententiam mortus tulit, quando videbatur reginam velle violare, cadens super ejus lectulum; (dicebat enim: *Etiam reginam vult opprimere me præsente in domo mea!* Esth. VII.): sic etiam Christus Dominus acrius sentire videtur injurias Matris suæ, quam proprias; quod confirmat Cæsarius, l. VII. histor. c. XLV. hoc exemplo: « Legitur, inquit, in libro miraculorum Clarevallis de duobus lusoribus terrible quid, cum uni male succederet, fortunæ alterius invidens, ut furori suo satisficeret, in Deum evomere cœpit verba contumeliosa: quem socius eodem maligno spiritu afflatus compescens, ait: *Sile; tu enim nescis maledicere.* Statimque Deum nimium blasphemans, cum in Matris ejus injuriam erumperet, vox desuper auditæ est: *Meam injuriam quocunque modo sustinui, Matris autem mea contumelias nequaquam potero tolerare:* moxque super ipsam tabulam

IN FESTO NATIVITATIS B. M. V.

vulnere visibili percussus, spumans expiravit. »

III. Acceptum esse Deo cultum B. Virginis. Sic enim igne cœlitus delapsa ostendit Deus gratum sibi fuisse sacrificium Abelis, ut tradit S. Hieronymus et alii, Gen. IV. item sacrificium Aaronis, Levit. IX. Gedeonis, Judic. VI. Manue, Judic. XIII. Eliæ, III. Reg. XVIII. Davidis, I. Par. XII. Salomonis, II. Par. VII. Nehemias, II. Macch. I. Sibi factum Deus reputat, quod minimis ejus facimus: quanto magis id, quod maximis et Matri ejus? Confirmat hoc imprimis S. Bernardus, serm. I. in hodierno festo, inquiens: « Totis medulis cordium, totis præcordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam: » et paulo supra: « Altius intuemini quanto devotionis affectu a nobis voluerit Mariam honori, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. » Tradit Adricomius, in descript. terræ sanctæ hortum balsami in Ægypto irrigari ex quadam fonte, qui Jesu fons appellatur, in quo B. Virgo dicitur Jesum sæpe abluisse, indeque aquam hausisse; et quia solus horto non sufficit, debent aliunde aquæ adduci in hortum; quæ tamen, nisi prius ducantur in fontem Jesu, et per illum transeant, nequam salubres sunt. Fontem hunc si Deiparam appellemus, quis mirabitur, cum illa vere aquam vitæ nobis propinarit? Et quid mirum, si per Matris suæ interventum nobis gratiarum suarum fluentia communicare velit? Faciunt enim unum quoddam alveus fontis et aqua in eo contenta, quemadmodum Deipara et Filius ejus. Quare si eut Pharaon suas opes omnes distribuit per Josephum: *Ite ad Joseph, inquit, et quidquid ille vobis dixerit, facite,* Gen. XLI. sic omnia commisit Deus Matri suæ, nobis distribuenda.

S. Hermannus, qui et Josephus dictus ord. Præmonstrat. audito B. Virginis nomine, terram osculabatur, eique diutius adhærere consueverat. Causam interrogatus a fratre fideli, dicebat sentire se prodeunte et terra suavissimum odorem, quasi florum et aromatum in eo osculo, ita ut ægre abstraheret labia. Idem cum aliquando languidus omnes in templo sanctos existentes invocaret pro remedio, nullum sensit levamen. Ad chori igitur accedens altare, vidit ibi sedentem feminam speciosam; quam cum interrogasset quid illuc ageret, agnovit esse Deiparam, quæ eum affata: *Si me perinde, inquit, ut alios sanctos invocasses, forsitan jam sanasse te.* Ergo ad pedes ejus accedens et remedium flagitans, audit: *Ecce jam sanus factus es.*

Eidem, cum ob curam thesauri sacri cessaret

a solita devotione erga Matrem, apparuit velut vetula, quasi jam ab eo minus dilecta, ut in ejus vita, 7. april. Surius.

IV. Cultum B. Virginis signum esse electorum. Idecirco enim stella illa, ubi aliquamdiu luxisset, sublimem se recepit in cœlum, unde venerat, quasi nuntians eos, qui Deiparae sunt devoti, simili modo in cœlum recipiendos, nec in fumum abituram eorum devotionem. Sic Act. X. linteum plenum bestiis purificandis scimus receptum esse in cœlum, ad gentium electionem indicandam. Et in hunc sensum de B. Virgine exponunt aliqui, quod Ecclesiastici I. dicitur de Sapientia Dei increata: *Præbuit illam diligentibus se.* Si enim rex aliquis amat pomarium suum, in eo serendas curat arbores, quibus maxime omnium delectatur. Delectatur autem Rex cœlestis procul dubio omnium maxime Matre sua: quare eam in cordibus electorum suorum radices agere jubet, juxta id Ecclesiastici XXIV. Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: *In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.* Jacob typus electorum est, juxta id: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui,* ad Rom. IX. Igitur qui signum aliquod electionis suæ desiderat, Deiparae se culti constanter addicat. Aquila ætitem lapidem prægnantem (quia intra se alium parvulum, quasi fœtum, qui et jactari auditur, continet) nido suo inædificat, sive ei firmando, sive tutando contra venena, Plin. I. X. c. III. Nos inædificemus cordi nostro Deiparam, que lapidem angularem Christum intra se continuit, et suo modo adhuc continet, quo firmari in gratia et defendi contra venena peccatorum mereamur.

CONCIO V.

MARIA VIRGO STELLA MATUTINA.

- I. Lucifer præit solem et sequitur. — II. Lucifer quasi alter sol. — III. Lucifer tenebras et tenebriosas fugat, lucis amantes recreat. — IV. Lucifer alias stellas præcellit. — V. Lucifer propitium status est et benevolum.

THEMA.

De qua natus est Jesus. Matth. I.

Videmus inter cœli sidera unum aliquod cæteris eminentius fulgore et magnitudine, quod orientem præcurrit solem, adventum ejus nuntians; eamque ob rationem mortalibus acceptis-

simum atque jucundissimum: stque stella Veneris, quam nos, cum oritur quidem, appellamus Luciferum et stellam matutinam, cum occidit vero, Hesperum, seu stellam vespertinam. Non video quod aliud sidus expressius repræsentet sanctissimam Dei Matrem, quam hoc ipsum Veneris: ipsa enim et præcessit nativitate solem justitiæ, Christum, velut mater filium; et subsequuta est eumdem ad cœlos abeuntem, post aliquot annos, ut in festo assumptionis ejus diximus. Mecum sentit in primis Ecclesia, quæ in litanis eam appellat *stellam matutinam*: deinde, B. Petrus Damiani, qui serm. XL. de Maria loquens: « Hæc est (inquit) stella matutina in medio nebulæ, quæ in cœli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. » Deinde, Franciscus Mayro doctor, cognomento *illuminatus*, in serm. de creat. animæ Virg. « Ista est, ait, ista stella, quæ unicuique promittitur, Apoc. II. Vincenti (inquit) dabo stellam matutinam; quia omnes sancti in patria de plenitudine felicitatis Virginis participant. » Hæc stella matutina hodie orta est, hodie suo ortu mundum prius errorum tenebris obscurum illustrare atque exhilarare cœpit. Jure igitur merito in aspectu hujus stellæ exultamus; quod ut majori nostro fructu fiat, paulo accuratius eam contemplabimur.

I. Mirandum est in Luciferi, quod orientem solem præcedat, non præcedat tamen occidentem, ut faciunt alia sidera, sed sequatur, adeoque oriatur vespere et mane; quidquid contradicunt aliqui. Id enim et videmus et testatur Plato, in Epinom. Cicero, I. I. de nat. deorum; Plinius, I. II. c. VIII. ubi ait: « Infra solem ambit ingens sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum solis ac lunæ. Præveniens quippe et ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut sol alter, diem matutinum: contra ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque luna reddens. » Itaque stella hæc diei principium et finis est, prima apparet in occasu solis, et ultima in ortu: præcurrat solem et sequitur, mira et difficulti combinatione. Pari modo in Deipara cernere erat triplicem combinationem rerum disparatarum ac planæ contrariarum. Erat enim humillima, quia se ancillam offert; et simul celsissima, quia Dei Mater et regina angelorum sanctorumque omnium. Dein circumfluebat gaudiis spiritualibus ob Filii sui præsentiam, et pacem cordis; et simul erat afflictissima, toto vitæ sue tempore gladio transfixa, quasi in amarissimo penitentia statu degens. Denique, erat pauperrima, pauperis fabri conjux; et simul ditissima, omniꝝ cœles-

tum gratiarum thesauraria. Potest ergo cum summa majestate simul stare summa humilitas; cum summis aulicæ vitæ deliciis, summa afflictio et mortificatio; cum summis divitiis summa paupertas. Quis jam diffidat de salute, quando inter honores potest quis dejectus esse, contritus et afflictus inter delicias, pauper inter opes, prius simul et ultimus?

II. Matutina stella Luciferi nomen accipit, ut sol alter diem maturans, inquit Plinius. citatus. Soli quidem de jure debetur nomen Luciferi, tamquam fonti lucis; quia tamen stella in infra solem ambulat, ab eo nunquam absens (ut ibidem ait Plinius) adeoque plurimum lucis participat, et pari fere spatio temporis, cum eo cursum suum absolvit, ideo velut solis æmula, Luciferi nomen accepit. Maria Virgo et ipsa Filio simillima, et sic alter quasi Jesus erat. Primo, vultu et specie corporis. Christus: *Speciosus forma pree filiis hominum* vocatur Psalm. XLIV. et describitur a Nicæphoro, I. I. cap. XL. qui etiam addit Matri fuisse simillimum. Nec mirum, quia a Spiritu sancto artifice excellentissimo corpus Christi ita fuit organizatum, ut ex vultu similitudine ab omnibus agnoscetur verus hujus matris filius; quod omnino necessarium erat contra Judæorum obtrectationes et futuras hæreses. Ad hæc aliorum filiorum lineamenta, a patre et matre accepta, ab utroque parente aliquid participant, et sic ad utrumque imitandum dividuntur: at in Christo, qui non patrem, sed matrem tantum in terris habuit, non item; solius enim matris lineamenta accepit et expressit. Secundo, in virtutibus, ut alibi ostendimus. Imprimis vero clementia et pietate refert Jesum filium suum. Ab ipso nemo unquam tristis discessit, quin consolationem aliquam accepit: ita ab ejus matre quicunque eam invocat, nemo tristis abit. Audiamus ipsam loquentem in revelat. Sancte Birgittæ, lib. VI. cap. X. « Nulla (inquit) poena est in purgatoriis igne, quæ propter me non remissior erit et levior ad ferendum, quam aliter esset. Nullus est adeo maledictus, qui quandiu vivit, careat misericordia mea, quia propter me levius tentatur a dæmonibus, quam aliter tentaretur. Nullus est ita alienatus a Deo, nisi omnino fuerit maledictus, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habeat misericordiam. » Tertio, in passione et tribulatione. Quid enim Christus passus est, quod in animam Matris derivatum non sit? Siquidem anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Qui matrem vult affigere, non poterit acerbius, quam affligendo ejus filium unicum et dilectissimum. Hinc proconsul Bithyniæ, sub Diocletiano imp. S. Theodotam cum minis et

blanditiis avertere a fide non posset, acerrimum medium tentavit; unum enim e filiis ejus, Evidum nomine, ante matris oculos virgis crudeliter cœdi mandavit. Quæ tamen filium confortans, hanc tentationem fortiter superavit, in vita S. Anastasie. Lipel. 25. decemb. S. Laurentius Justinianus, lib. de triumph. Christi agone, cap. XXI. « Clarissimum (inquit) speculum passionis Christi effectum erat Virginis cor et perfecta mortis imago. In illo agnoscebantur sputa, convicia, verbera et vulnera Redemptoris. » Quare in ejus corde, velut in speculo, expressi erant omnes cruciatus Filii. Calenus dicitur in digito annulum jaspide insignitum gestasse, in qua cernebatur homo, fasciculum herbae collo implicatum gerere, apud Rueum, lib. II. de gemmis. Quidni jaspidem hanc Deiparam exprimere dicamus, quæ semper in corde suo gerebat Filium cruce onustum? Quarto, consequenter et in gloria. Quo spectat id. Guerrici abb. serm. II. de assumpt. Virg. ubi ait in persona Christi: « Nullus mihi plus ministriavit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communia casti mihi quod homo sum; communicabo tibi quod Deus sum: » et Arnoldus Carnotensis, tract. de laudib. Virg. « Est illa (inquit) constituta super omnem creaturam: et quicunque Jesu curvat genu, Matri quoque pronus supplicat et acclivis; nec a dominatione vel potentia Filii Mater potest esse sejuncta. Una est Mariæ et Christi caro, unus spiritus, una charitas; et ex quo dictum est ei: *Dominus tecum*, inseparabiliter perseveravit promissum et donum, et Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eamdem. »

III. Stella matutina tenebras dispellit et tenebriones fugat, ut rapaces bestias, fures et nocturnos grassatores; quos luce sua prodit, ideoque terret ac percillit: vicissim amicos lucis, homines et alia animantia lætitificat et ad labores evocat. Non dissimili modo Virgo Maria exortu suo longæ noctis, qua sub veteri testamento erat, et figurarum, necnon et errorum, qui in gentilismo vigeant, tenebras cœpit dispellere, et bestias tartareae perterrefacere: e contra vero Dei servos exhilarare, et ad virtutem studium excitare, ita ut de ipsa justius dici possit, quam de Simone pontifice, quod ait Ecclesiasticus, c. L. *Quasi stella matutina in medio nebulæ*. Non potuit latere dæmones venturam aliquando mulierem, quæ caput eorum contereret; quia hoc a Deo prædictum audierunt; jure etiam merito metuere potuerunt, quando Mariam in utero matris sanctificatam, suo imperio prorsus creptam et a communi peccati lege exemptam viderunt, ne hæc ipsa mulier esset, quæ ipsos contritura esset. Unde necesse est nefarios illos spiritus, ortu hujus stellæ mirum in modum tremefactos esse, qui et paulo post graves ab ea plagas accepere; quando ipsa vitam ab omni labe immunem duxit, alias exemplo suo ædificavit, Dei Filium denique in terras evocavit. Hinc vel solum Mariæ nomen intolerabile eis factum est, ut testatus ipsa imprimitur in revelat. S. Birgitta: *Omnès dæmones, auditio nomine meo, aufugint*: et Sanctus Bonaventura, in speculo B. V. c. III. *Non sic*, inquit, *timent hostes visibles castrorum multitudinem, perirent sicut cera a facie ignis*. Nec mirum; maxima enim potentia regnum Satanae invasit, cum a teneris statim vitam instituit sanctissimam, eamdemque suo exemplo et horatæ vivendi rationem tradidit, uti imprimitur Josepho sponso. Ipsa angelos e cœlo evocavit, ut cum hominibus familiariter conversari inciperent, quod aliquot retro sæculis intermisserant; nam et ipsa in sacro gyname dum educabantur, angelorum visionibus et conversationi assueta erat, testantibus non paucis ss. patribus: et postea iidem frequentes aliis apparuerent, uti Zachariæ, Josepho, pastoribus, apostolis, aliisque. Ipsa ergo luce sua mundum hunc illustrans, coelestibus illis aviculis, lucis amantissimis, aditum aperuit in hunc mundum, eosque ad hominum commercium invitavit. Deinde, ipsa duce et vexillifera, prodire cœperunt in lucem sancti alii quam plurimi, prius admnodum rari, sensimque pervaserunt universum orbem. Ante ipsam mundus quid, nisi terra sterili et pene omni virtute destituta erat; qualis erat terra Israel sub Elia, quando tribus annis et medio non pluerat, donec nubecula e mari ascenderet, et copiosam pluviam in terram effunderet, III. Reg. XVIII. In nubecula illa agnoscit B. Virginem Joannes episcopus Jerosolymitanus, de instit. mon. cap. XXXIII. et bene, quia de eadem Isaías, c. XIX. vaticinatus est: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem* (hoc est, in ulnas Matris suæ) *et ingredietur Ægyptum*. Nubes e mari oritur, nihil tamen amaritudinis contrahit ab illo: et B. Virgo orta et concepta est e sole Adami labefacta, nihil tamen labis ex ea contraxit. Ante exortum illius nubecula nihil pene germinis videre erat in terra, nihil pene sanctitatis et eximiae virtutis: ubi vero illa prodiit, et pluviam, Christum Filium, in mundum effudit, ibi omnis terra germinare viros sanctos cœpit.

IV. Stella matutina splendore, magnitudine, pulchritudine omnes alias stellas præcellit, adeo ut propellam in maximo spatio nulla prorsus apparent, quasi earum fulgor ab hujus claritate nimium eminente absorbeat. Ita enim Plinius, loco cit.

« Magnitudine extra cuncta alia sidera est, claritatis quidem tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbra redditantur. Itaque et in magno nominum ambitu est : alii enim Junonis, alii Isidis, alii Martis Deum appellavere,» ita Plinius. Quid sancti de Maria Virgine? Gabriel angelus imprimis, deinde, S. Elisabeth appellat eam *benedictam in mulieribus*, hoc est, præ omnibus mulieribus, Luc. I. Quidquid enim sanctitatis cæteri sancti habuerunt, minus est et obscurum, si cum Maria sanctitate comparetur. Ita S. Hieronymus, in prologo super Sophoniam : « Taceo (inquit) de Anna et Elisabeth et cæteris sanctis mulieribus, quarum velut igniculus clarum Mariæ lumen abscondit.» Et cur sanctæ litteræ omnino scribunt de sanctis ejus parentibus, Joachimo et Anna aliisque ejus progenitoribus usque ad Zorobabelem, quos nemone facile dubitet saltem plerosque claros et eximios virtutibus fuisse? Quia nimur lumen hujus stellæ matutinæ tam eximium et illustre parvos illorum igniculos penitus obscuravit. Hinc : « Jure (inquit Isychius, orat. II.) omnis grati animi linguis salutat Virginem et Deiparam, ac pro viribus Gabrielem angelorum principem imitatur. Itaque hic quidem dicit ei : Ave, ille vero acclamat : Dominus ex te. Iste cognominat eum matrem lucis, ille stellam vitæ, alias Dei thronum appellat, alias templum, alias cœlo, alias cathedram non inferiorem cathedrali cherubica, alias item hortum non seminatum, fertilem, incultum, turturum mundum, columbam impollutam, nubem pluvias incorruptas continentem, fodinam, unde prodiit lapis totam terram tegens, a nullo incisus, navem mercibus refertam, thesaurum locupletantem, alias arcam arca Noe latiore, longiore et illustriorem.» Sic ille. De ejus magnitudine B. Petrus Damiani, in serm. de nativ. « Quid (inquit) grandius Virgine, quæ magnitudinem summæ divinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim et in illius superioris nature supervola dignitatem, et videbis quidquid majus est, minus Virgine; solumque opificem opus istud supergredi, etc.» Similiter Sanctus Laurentius Justinianus, in serm. de nativitate Virg. « Nullus (inquit) mortalium, quamvis donorum cœlestium numerositate sit prædictus, Virgini valet coæquari : patriarcharum utique, prophetarum, apostolorum, martyrum omniumque sanctorum merita B. Maria transcendit.» Denique, Maria præ omnibus mulieribus ita benedicta est, ut splendorem virginitatis conservans, umbram projiceret, in qua mortales omnes refrigerium invenirent, Filium scilicet mundi Salvatorem, umbram, inquam, illam, de qua Th. IV. dicitur : *Diximus. In umbra tua vivemus in*

gentibus. In quem locum S. Ambrosius, serm. XIX. in Psal. CXVIII. « Umbra tua, o Christe, caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigeravit cupido tatum, quæ compescuit insolentiam vitiorum que restinxit ignes libidinum, quæ avaritiae diversarumque passionum incendia temperavit. Si caro Christi umbra fuit, unde nisi a Matre umbra prodiit? Unde nisi a Maria?

V. Stella matutina graia simul et propitia terra est : « Cujus natura cuncta generantur, ita Plinius cit. namque in alterutro exortu genitali rore conspergens non terræ modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium stimulat.» Hinc *benevolia* appellatur, quia maxime temperantia in qualitatibus, ait Vincentius Belluac. I. XXV. cap. XXIX. Stellæ aliae frigora causant, ut Saturnus; aliae calores et æstus, ut canicula; aliae pluviarum frequentiam, ut Hyades; aliae flatus e' ventos, ut Mercurius, nihil horum Lucifer adfert. Consimili modo patres loquuntur de B. Virgine, per eam scilicet dari, quidquid gratiarum a Deo effunditur in homines. Rupertus, I. IV. in Cant. in id : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus*, ait : « Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt,» hoc est, per te, o Virgo, velut de paradiso in Ecclesiam derivantur. S. Bonaventura, in psalterio, in Ecclesiastici XXIV. *Cyrum cali circuvi solæ*, ait : *Gyrum terræ sola circuis, ut subvenias invocantibus te.* Quomodo vero sola? Nonne etiam ss. angeli custodes terram circumeunt, ut hominibus subveniant? Circumeunt quidem, sed ut singuli singulis succurrant : Deipara vero ita sola circuit, ut omnibus et singulis opem ferre parata sit. Benignum sidus est, nihil austерum, nihil formidabile continet. Unde S. Bernardus, de verb. Apoc. *Mulier amicta sole*, ait : « Ea est (Maria), quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos orientur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, etc.» et rursum : « Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austерum in ea, nihil terribile, tota suavis est. Revolve diligentius evangelicæ historiæ seriem universam; et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrit in Maria, de cætero suspectam habeas et accedere verearis.» Angeli sæpe formidabiles apparuerunt, et vindictam sumpserunt de peccatoribus, aut saltem terruerunt eos. Non ita Maria, quæ uti in terris degens, ita et nunc in cœlo regnans, nemini terrorem adfert, sed misericordia

sinum aperit omnibus. Confirmemus hoc exemplo uno, quod quidam presb. cardinalis Stephanus nomine, refert apud B. Petrum Damiani card. ep. XIV. ad Desiderium card. I. II. epist. in hæc verba : « Clericus quidam fatuus erat, pauci frivoli et ineptus. Huc accedit, quia nullum religionis dotem, nullam canonice disciplinæ, gravitatis, sive modestie videbatur habere virtutem : inter hos tamen emortuos inutilis vita cineres hic perexigi fomitis tenuis vivebat igniculus, ut ante sacrosanctum altare quotidie Beatae Dei Genitricis accederet, et reverenter verticem curvans, angelicum hunc atque evangelicum versiculum decantaret : Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Cum itaque tanta fatuitatis inceptiam novus deprehendisset episcopus, ab inutili persona utilitatem Ecclesiæ detineri indignum duxit : eique præbendam, quam a nuper elato suo decessore perceperat, abstulit. Sed cum hunc rei familiaris egestas, opprimeret, et propter hoc aliud quid, unde posset vivere, non haberet, nocturno silentio pia Dei Genitrix episcopo, dum dormiret, apparuit, quam scilicet præcedebat vir in una manu ardente faculam, in altera ferulam portans. Cui mox B. Virgo præcepit, ut episcopum delinquentem aliquantis ferulae, quam gerebat, verberibus castigaret : Cur, inquiens, capellano meo, qui mihi quotidiana impendebat excubias, stipem Eccle-

siaæ, quam non ipse contuleras, abstulisti? Moxque sacerdos tremefactus evigilans, clero beneficium reddidit, et quem ignotum Deo forte crediderat, jam quasi charum propensius honoravit. Si igitur ille unum dumtaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promeruit; quam fideliter æterna sperabant, qui beatæ reginæ mundi quotidiana horarum omnium vota persolvunt? » Ita ille.

Superest nunc ut nos hanc stellam non modo contempleremur, sed etiam cultu singulari proprietati nobis reddamus. Robertus Franciæ rex sub annum Christi 1022. in honorem B. Virginis, cui mire addictus erat, instituit hoc ipso nativitatis ejus die 8. sept. ordinem, qui stellam in veste pro insigni gerebat, ut ipsa sui regni, ac præser-tim nobilitatis, ductrix esset, velut stella prævia. Quare triginta equites e prima nobilitate in eum ordinem adlegit, singulisque torquem aureum cum stella ad pectus dependente in collum injecit, ut habent annales Parisienses Jacobi Broulli. Hujus exemplo regis instituimus etiam nos ordinem militarem sub præsidio hujus stellæ, ut stabili et peculiari ratione certum aliquod pietatis pensum Deipara persolvamus; quo mereamur et ipsi ab hac stella dirigi in hac terra deserta, invia et inaquosa, eaque duce, tandem pervenire ad umbram, refrigerium nostrum Christum.